

## TRACTATUS III.

## DE DEO TRINO.

**H**ujus Tractatus erunt tres Dissertations: 1. Erit de Trinitate in genere; 2. De Personis divinis in particulari; 3. De mutua praedicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis.

## DISSERTATIO I.

## De Misterio Sanctissimae Trinitatis in genere.

**H**ic agemus 1. De existentia Trinitatis; 2. De modo eam cognoscendi; 3. De processionibus divinis; 4. De personalitatibus et relationibus divinis. 5. de his, quae tribus personis sunt communia.

## CAPUT I.

## De existentia Sanctissimae Trinitatis.

**Q**uaeas 1. *Quid sit mysterium SS. Trinitatis?*

*Resp.* Est unus Deus in tribus personis subsistens.

Dicitur 1. *Unus Deus*, id est, una natura divina, unitate numerica et singulare, non vero unitate specifica, quae per singularis differentias dividatur et multiplicetur, ut natura humana in Petro, Paulo, Andrea.

Dicitur 2. *In tribus personis*, realiter distinctis, contra Sabellianos, qui docuerunt, unicam esse in Deo

personam pro diversis ejus officiis trinominem, qui ideo *Patrissiani* dicti sunt, quia Filius, qui eadem est persona cum Patre, passus est.

Dicitur 3. *Subsistens*; contra Socinianos, qui negant Spiritum Sanctum esse subsistentem personam, asseruntque eum esse tantum Dei virtutem et efficaciam.

Quaeres 2. *An Trinitas personarum in Deo possit probari ex veteri Testamento?*

*Resp. Affir.* Nam, *Gnes.* 1. dicitur: *Vidit quod esse bonum, et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: ubi haec verba: vidit Deus, et ait, ponuntur in singulari, ut unitas naturae manifestur: ista vero, faciamus, nostram, ponuntur in plurali, ut multiplicitas personarum demonstretur: illa enim verba ad quasdam alias personas, a loquente distinctas, diriguntur.*

*Gen. 3.* dixit Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, ubi, si non essent plures personae, sensus esset, *ecce Adam quasi unus ex me factus est*, quae locutio inepta est et ridicula.

*Psal. 109.* dicitur: *Dixit Dominus Domino meo.... ex utero ante luciferum genui te;* atqui filius realiter distinguitur a Patre. Hoc textu usus est Christus, *Matth.* 22. ut probaret suam divinitatem.

Quaeres 3. *An Trinitas possit probari ex novo Testamento?*

*Resp. Affirm.* *Matth.* 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* *Joan.* 14. Christus, ait: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Quem locum contra Sabellianos sic urget D. Athanas. *Cum Christus de se loquitur, dicit, ego: cum de Patre, dicit, ille: cum de Spiritu Sancto, subjungit, alium; nonne igitur manifestae pertinaciae est, negare tres?*

1. *Joan.* 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant*

\*

*in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Unde omnia fidei symbola Trinitatem personarum in Deo confitentur.

*Objicies 1.* Deus in Scripturis dicitur solus, Deut. 32. *Vide te quod ego sim unus.* Ergo.

*Resp. Dist. ant.* Deus dicitur solus, per exclusionem deorum aliorum, *conc.* per exclusionem personarum in Deo, *nego ant.* Dicit enim Christus, Joan. 8. *Solus non sum, sed ego et qui misit me.*

*Objicies 2.* Juxta scholae axioma: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* atqui personae divinae sunt quid idem uni tertio, nempe naturae divinae; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Quae sunt eadem uni tertio incomunicabili et singulari, sunt eadem inter se, *conc.* quae sunt eadem uni tertio communi et communicabili, *nego axioma.* Sic quamvis Petrus et Paulus sint quid idem cum natura humana, non tamen sunt idem inter se, quia natura humana est communis et communicabilis Petro et Paulo; unde non valet hoc argumentum: *Petrus est homo, Paulus est homo: ergo Petrus est Paulus.*

*Objicies 3. cum Socinianis:* Spiritus Sanctus non est vera persona per se subsistens: ergo non sunt tres personae in Deo.

*Resp. Nego ant.* Nam Scriptura sacra Spiritui Sancto proprias tribuit actiones, nempe docere. Joan. 14. *Paracletus autem Spiritus Sanctus... vos docebit omnia.* Venire, arguere, audire, loqui, accipere, Joan. 16. *cum venerit ille, arguet mundum de peccato.... Quaecumque audiet loquetur.... de meo accipiet;* atqui actiones personam viventem et per se subsistentem denotant, juxta illud effatum, *actiones sunt suppositorum;* ergo, &c.

*Inst. 1.* Actiones personales tribuuntur Spiritui Sancto per figuram prosopopeiae, per quam res, quae non

est persona inducitur loquens, quasi esset persona; ergo ex illis actionibus non potest erui quod sit vera persona subsistens.

*Resp. Nego ant.* Quis enim, nisi caecus sit, dicat haec verba, Act. 10. *Dicit spiritus ei (Petro) ecce viri tres querunt te.... vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos,* de Spiritu Sancto dici figurate, cum pronomen *ego,* apertissime demonstret personam quae imperat et mittit!

*Inst. 2.* Quando Scriptura de Spiritu Sancto dicit: *Interpellat pro nobis genitibus inenarrabilibus,* figurate loquitur; ergo, &c.

*Resp. Retordeo;* quando Scriptura dicit Christum esse vitam, ostium, agnum, &c. figurate de Christo loquitur; ergo semper de Christo figurare loquitur. Ergo ex subjecta materia, ex antecedentibus et consequentibus, aestimandum est, an Scriptura figurate loquatur vel non.

*Quaeres 4. Quinam negarunt divinitatem personarum divinarum?*

*Resp. Ariani divinitatem Verbi, Macedoniani divinitatem Spiritus Sancti, Sociniani utriusque divitatem negarunt.*

*Quaeres 5. Utrum Filius Dei, sit verus Deus, Patri consubstantialis?*

*Resp. Affir. Prob. 1.* Ex veteri Testamento Isaiae 9. *Filius datus est nobis... et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri saeculi.* Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo: ubi haec particula; Dixit Dominus, intelligitur de Deo Patre: et ista, *Domino meo,* de Deo Filio, qui secundum naturam divinam tantum, est Dominus Davidis, non secundum naturam humanam, quam ab ipso Davide recepit.... eodem Psalmo, Deus Pater dicit Filio: Ex utero, id est, ex propria mea substantia, ante luciferum, id est, ab aeterno, genui te, nimis per ve-*

ram ac proprie dictam generationem, unde est Filius naturalis.

*Prob. 2.* Ex novo Testamento. Matth. 14. cum Caiphas interrogasset Jesum: *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* respondit, *ego sum;* quod Caiphas, ceterique Judaei de filio naturali intellexerunt, alias Caiphas non dixisset, *audistis blasphemiam:* nec Judaei clamassent, *eum esse reum mortis.*

*Joan. 1.* dicitur: *In principio, id est, ab eterno, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, id est, a Deo genitum, et Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt.... et Verbum caro factum est.* Hic Verbum clare et distincte appellatur *Deus....* Et c. 10. dixit Christus: *Ego et Pater unus sumus, id est, una natura divina; in hunc locum S. Aug. ait: Quod dixit, unum, liberat te ab Ario: quod dixit, sumus, liberate a Sabellio.* Si, unum, ergo non diversum; si, sumus, ergo Pater et Filius.... c. 15. *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt;* atqui Pater habet naturam divinam; ergo.

*1. Joan. 5.* Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit vobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus et vita aeterna.

Hinc in Conc. Nicaeno I. definitum est Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantiale Patri.*

*Objicies 1.* Christus sic alloquitur Patrem: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum; ergo solus Pater est Deus.*

*Resp. Dist. conseq.* Solus Pater est Deus, per exclusionem falsorum deorum, *conc.* per exclusionem alias personarum divinarum, *nego conseq.* Quia quando attributum absolutum uni personae tanquam soli tribuitur, non excluduntur aliae personae divinae, sed so-

lum res quea sunt naturae diversae a natura divina; sic quando dicitur: *Nemo novit Patrem, nisi Filius, non excluditur Pater, quia inseparabiles sunt,* ait D. Aug. lib. 1. de Trinitate, c. 6.

*Objicies 2.* Nomen, *Deus,* alias a Deo entibus tribuitur, in Scripturis, ut cum Deus Moysi dixit: *Constitui te Deum Pharaonis;* ergo ex hoc quod Verbam dicatur *Deus,* non sequitur quod sit vere et realiter Deus, sed tantum figurate et participative.

*Resp. Dist. ant.* Aliis a Deo entibus tribuitur, cum additione, seu restrictione, *conc,* absolute et simpliciter, *nego ant.* Sic cum Moyses dicitur *Deus,* additur *Pharaonis.* Sed de solo Christo dicitur, quod sit Deus absolute.

*Objicies 3.* Christus Joan. 10. ut hance Judaeorum opinionem, quod se Deo aequalem faceret, amoveret, respondit seipsum non alterum Deum dixisse, aut filium Dei, quam in Scripturis ii, ad quos sermo *Dei factus est,* dicuntur dii; ergo.

*Resp. Nego ant.* Nam Christus ibi argumentatur a minori ad maius sic: si judices propter auctoritatem quam a Deo acceperunt, dii appellantur; quanto magis Deus dici debet ille quem *Pater sacrificavit,* nimirum sanctitate increata et personali. Undi addit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite,* nam opera mea quae nemo aliis facit, probant me a Patre missum, et vera locutum, cum Deus non possit miracula edere ad confirmandum mendacium; *operibus ergo, credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre,* propter identitatem naturae et consubstantialitatem.

Alii textus objiciuntur a Socinianis, sed facile solvuntur.

*Lucae 18.* Christus dicit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.* Sed ejusmodi responsio est

ad mentem principis illius, qui Christum ut purum hominem habebat.

*Ecli.* 24. Sapientia, quae est Verbum, dicit: *Ante saecula creata sum.* Sed intelligitur de creatione improprie dicta, nempe de simplici productione et generatione, non de educatione rei ex nihilo.

*Joan.* 1. De verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Sed intelligitur de causa efficiente, non de causa instrumentalis; particulae enim *ab, ex et per* in Scripturis idem significant.

*Joan.* 14. Dicit Christus: *Pater major me est.* Sed inde sequitur tantum quod Christus sit minor Patre secundum humanitatem, non secundum divinitatem.

*Joan.* 5. Christus ait: *Non possum ego a me ipso facere quidquam;* sed non inde sequitur, quod non habeat aequalem potentiam cum Patre: hoc ergo ideo dicit, quia omnipotentia est ipsi a Patre communicata.

Quaeres 6. *Utrum divinitas Verbi possit probari ex traditione Patrum qui ante Concilium 1. Nicaenum fluerunt?* Alios enim nobis dimittunt Sociniani.

*Resp. Affirm.* Nam 1. S. Ignatius Martyr, Epist. ad Tarsenses, redargens eos qui de Christo dicebant: *Quoniam nudus homo est,* ait: *Qualiter autem nudus homo audiret?* Sede a dextris meis! *qualiter autem ei diceret,* Priusquam Abraham fieret, ego sum, &c.

2. S. Martialis, Petri Comes, in 1. ad Burdigalensem Epist. c. 2. ait: *Christus mori potuit, quia homo fuit.* *Filius Dei ante principium fuit:* Et quia Deus erat, diuteneri in morte non potuit. *Resurrexit enim ante lucem tercia die, de loco ubi eum sepeliri vidimus, et apparuit nobis.*

3. Div. Dionys Areopagita, lib. de divinis nominibus, c. 2. dicit: *Sacrae scripturae tradunt ipsummet Deum, se designando, dixisse: Quid me interrogas de bono? ne mo bonus nisi solus Deus.* Porro Deus qui sic se designavit, est Deus Filius: etenim, addit D. Dionys. *Et verbum ipsum, quod natura bonum est,* ait: ego bonus sum.

4. S. Justinus, Apologia 2. pro Christianis, de Christo dicit: *Qui quod Verbum et primogenitus Dei sit, Deus etiam est.*

5. S. Theophylus VI. Patriarcha Antiochenus, lib. 1. Commentariorum in Evangelia, dicit: *Obtulerunt ei (Christo) Magi munera, aurum ut Regi, thus ut Deo, myrram ut homini ad sepulturam.*

6. S. Dionys. Alexand. Epist. contra Paulum Samosatensem, ait: *Unus est Christus qui est in Patre, coacternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis, et visibilis factus.*

7. Eusebius Pamphilus, Caesareae Episcopus, lib. 2. de fide, ait: *Gentiles non sumus, quia non dicimus Deos. Iudei non sumus, quia et Christum Deum confitemur.*

Hinc Concil. Nicaenum 1. definiuit, Filium Dei esse, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiale Patri, &c.*

*Objicies* 1. D. Ignatius, Epist. ad Tarsenses, de Filio, dicit: *Non ipse est, qui super omnia Deus Pater, sed Filius ejus....* *Resp.* Quod per haec verba vult tantum Filium non esse fontem totius divinitatis.

*Objicies* 2. D. Justinus, Dialogo cum Triphone, asserit 1. *Deum Patrem esse Filio causam ut sit....* 2. *Filium esse administrum Dei Creatoris.* 3. *Christianos in secundo loco habentes (Filium Dei) cum ratione venerari.* Ergo.

*Resp. ad.* 1. Quod Justinus nomine causae, intellexit principium....ad. 2. dico quod Filius dicatur Patris minister improprie, quatenus et esse, et operandi virtutem accepit a Patre sine dependentia ab illo....ad 3. Filius dicitur secundo loco haberi ratione originis, quia est secunda persona, non vero ratione naturae et dignitatis.

*Objicies* 3. D. Irenaeus, l. 3. adversus haereses cap. 8. dicit Deum Patrem *praecepisse Verbo per quod coeli firmati sunt;* ergo.

*Resp.* Praecepit improprie, hoc sensu, quod Pater voluit mundum fieri per Verbum, hoc est, voluntate Verbum a Patre accepta et utriusque communis. Porro illud praecepsum non arguit inferioritatem in Verbo.

*Objicies 4.* Clem. Alexand. l. 1. Stromatum, dicit: *Beneficentissima est natura Filii, quae soli omnipotenti propinquissima est.* Et l. 5. dicit: *Verbum esse sapientiam primo creatam.*

*Resp. ad 1.* Quod *natura* sumatur pro *persona*, ut frequenter usurpatur apud veteres....*ad 2.* Verbum *primo creata*, sumitur pro Verbo, *primo genita*, est autem primo genita, quia prior est origine persona Spiritus Sancti.

*Objicies 5.* Origenes, l. 8. contra Celsum, dicit l. Verbum non esse universorum Deum. 2. Contendit Filiū, ut Filius est, esse minorem Patre, juxta illud Christi: *Pater major me est.*

*Resp. ad 1.* Veteres per haec Verba *universorum Deum*, solam personam Patris, per appropriationem intellectuisse....*ad 2.* Filius, qua Filius, dicitur minor Pater, ratione originis, quia ab eo recipit esse, unde Pater dicitur fons totius divinitatis; sed non est minor ratione essentiae: ita hunc textum: *Pater major me est*, interpretatur Div. Athanas. Orat. 2. contra Arianos.

*Objicies 6.* Tertullianus 1. docet, l. contra Hermogenem, c. 3. Deum non fuisse semper Patrem: *Non tamen ideo Pater semper, quia Deus semper*, inquit....2. l. contra Praxeam, dicit: *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profiteretur*: *Pater major me est*....3. Ibidem dicit: *Deum Filium agnosco, secundum a Patre defendo.*

*Resp. ad. 1.* Quod Tertull. loquatur de paternitate essentiali, quae respicit productionem creaturarum, est que tribus personis communis; non vero de paternitate notionali quae est ad filium naturalem....*ad 2.* Quod intelligi debeat secundum imperfectum nostrum

concipiendo modum, non vero realiter: sic enim loquitur Tertull. ut ostendat Filium esse a Patre per generationem, ut inde concludat contra Praxeam, eum a Patre distingui persona et hypostasi....*ad 3. dist.* Ratione originis, *conc.* ratione naturae, *nego*.

*Quaeres 7. Utrum Spiritus Sanctus sit verus Deus, Patri, Filioque consubstantialis?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. in Scriptura vocatur Deus, Act. 6. D. Petrus sic Ananiam alloquitur: *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto.... non es mentitus hominibus, sed Deo....* 2. Spiritui Sancto tribuuntur omnes perfectiones quae soli Deo sunt propriae, nempe, immensitas, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omnis scientia 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Associatio cum Patre et Filio in omnibus operibus ad extra, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filiī, et Spiritus Sancti.*

Unde Tertull. l. *adversus Praxeam*, c. 13 ait: *Pater est Deus, Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus.* Et Conc. Constantinop. I. definivit: *Credimus Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem....cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Ergo est Patri et Filio consubstantialis.

*Objicies 1.* Plura in Scripturis de Spiritu Sancto leguntur quae Deo vero convenire nequeunt; ut Roman. 8. dicitur, postulare et gemere. Ephes. 4. dicitur contristari. 1. Thessalon. 5. dicitur extingui.

*Resp. 1.* Dicitur postulare et gemere, quia nos postulare facit, et coram Deo gemere....*2.* Dicitur contristari, quia improbat quod male gerunt homines....*3.* Dicitur extingui, non ratione sui, sed ratione gratiarum, quas homo extinguit, vel non utendo, vel abutendo.

*Objicies 2.* Christus de Spiritu Sancto loquens, ait: *Non enim loquitur a semetipso, sed quaecumque audierit loquetur.* Ergo &c.

*Resp.* *Dist. ant.* Quaecumque audiet, procedendo, loquetur, *conc.* quaecumque audiet, discendo, *nego ant.* Spiritus Sanctus per suam processionem, accipiendo naturam divinam, recipit etiam omnium rerum cognitionem, quae cum ipsa identificatur.

## CAPUT II.

### *De modo cognoscendi SS. Trinitatem.*

Quaeres 1. **U**trum mysterium SS. Trinitatis possit ratione naturali demonstrari?

*Resp. Negat.* Ait enim Christus, Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ergo mysterium SS. Trinitatis sola revelatione cognosci potest. Et ratio est, quia omnis demonstratio vel fit a priori, seu per causas; vel a posteriori, seu per effectus; atqui mysterium SS. Trinitatis non potest demonstrari a priori, cum Deus nullam sui causam habeat; neque etiam a posteriori, quia creaturae non dependent a Deo quatenus trinus est; sed quatenus unus est in natura; prodeunt enim ab omnipotencia, quae, cum sit toti Trinitati communis, arguit unitatem naturae, non distinctionem personarum; ergo.

*Objicies 1.* Antiqui Philosophi, Plato, Aristoteles, Trismegistus, imo et Sybillae, mysterium Trinitatis agnovere; &c.

*Resp.* Dato, non concesso, antecedente, *nego conseq.* Nam si Philosophi gentiles aliquam de hoc mysterio notitiam habuerunt, illam habuerunt vel per revelationem ipsis immediate factam, ut de Sybillis tradunt DD. August et Hieron. vel ex lectione librorum Moysis et Prophetarum.

*Objicies 2.* Certissimum est 1. Deum esse intelligentem et volentem. 2. Omne intelligens et volens ter-

minum utriusque actionis producere. 3. Producens et productum distingui realiter. 4. Hunc duplice terminum debere esse substantiam in Deo qui nihil accidentale potest in se admittere. 5. Hos terminos naturam divinam, et quidem individuum participare, quia multiplex non potest esse natura divina, et quidquid in Deo est, necessario Deus est.

*Resp.* Haec probationem non esse demonstrationem, nam mens humana, sibi reicta, cognoscere minime potest actionem intellectus et voluntatis in Deo esse productivam; qualis enim illius erit terminus? an aliquod accidens? at in Deo, utpote ente perfectissimo, nullum esse potest. An substantia? minime; alias cum, juxta leges naturae, omne productum substantia distinguatur a producente, tot essent naturae divinae, quot personae producentes et productae; ergo essent plures dii, quod lumini naturali repugnat; ergo gentilis concludet potius Deum, intelligendo et volendo, nullum producere terminum substantialem et personalem; imo ostendet talem terminum non esse necessarium, quia, factentibus Theologis, Filius et Spiritus Sanctus intelligunt et volunt, nec tamen producunt terminum.

Quaeres 2. *Utrum, supposita fide hujus mysterii, possit variis exemplis illustrari?*

*Resp.* Exemplis illustrari potest, sed imperfectis: illustratur enim et probabile suadetur exemplo mentis humanae; quae licet realiter una, tribus tamen pollet facultatibus, scilicet, intellectu, voluntate, et memoria, quae relative distinguuntur.

## CAPUT III.

### *De processionibus divinis.*

Quaeres 1. **Q**uid sit processio?

*Resp.* Est emanatio, seu origo unius ab alio. Alie-